


*[Faint, illegible handwriting in a historical script, possibly Latin or German, covering the page.]*





1598.

Jargalger, Petrus: De obligationibus [6.] Jus, quae quae  
ex contractu nascuntur et de modis tollendarum  
obligationum.

1603.

Stephani, Matthias: Disputatio continens repetitionem  
sacerrimae l. ut. vim de just. et. jur. .

1629.

Gerschor, Fridericus: de commodato.

1636.

Mevius, David: 7 Controversiae juris publici  
ex materia jurisdictionum, contractuum et delictorum  
de promptae.

1637.

Westphal, Andreas: De serenissimum Ducem Borussiae  
meritis in rem literariam Dissertat-

1649.

Hypmannus, Franciscus: De referendis et eorum  
officiis in legendis actis. Rec. 1729

1650.

Volschorius, Frachinus: De cessione bonorum.

1651.

1. Volschorius, Frachinus: De restitutione spoliatorum
2. Volschorius, Frachinus: De contractu et districta  
sponsalium.

1653.

Pommeschius, Franciscus: De consecratione principum.

prim. 1.

1654.

1. Pommeschius, Franciscus: De consecratione principum. 2.
2. Pommeschius, Johannes: De auctoritate principis

1655

Friedrichs, Conradus: De maturo

1661.

1. Pommereskius, Joannes: Programm, quo . . .  
et inauguralem: de mariti in proprio mulieris patri-  
monio constituto jure, dissertationem . . .

Raphalle Birchio . . . pro licentia supremo  
in utraque jure honores obtinendi habendam . . .  
instit.

2. Pommereskius, Joannes: De mariti in proprio mulieris  
patrimonio constituto jure.

3. Pommereskius, Joannes: De jure commentitio.

1664.

2. 1. Engelbrecht, Georgius: De maleficis et mathematicis.

2. Engelbrecht, Georgius: De posthuminis.

1665.

1. Pomerestius, Joann : De perjurio ejusq. poena.
2. Pomerestius, Joann : Programma, quo Jul. Pomerestius, Fac. jur. decanus : ... et Dissertationem inauguralem ... de perjurio, a ... Friderico Antonio ... pro consequendis ... in utroque jure honoribus ... iuratur.
3. Pomerestius, Joann : De fructibus ex re aliena perceptis.
4. Pomerestius, Joann, Facult. jur. decanus : Programma quo ... et ... in ang ... de fructibus ex re aliena perceptis ... Petro Marcon ... pro consequendis ... in utroque jure ... privilegiis ... habentem iuratur.

7241



DISPUTATIO

continens

*Repetitionem sanctissimæ*

L. ut vim. de just. & jur.

Quàm

PRÆSIDE

MATTHIA STEPHANI J. U. D.

*In Illustrissimorum Pomerania Ducum Illustri  
Gryphisbana Academia ad 16. Jul. in Audi-  
torio J. C. torum publicè defendet*

JOHANNES FREVDEMANNVS  
HALENSIS SAXO.

ANNO

Per Di. Dis Cordia regna. 1603

Ergò

AD S. OPTIME CHRISTE

pro æterna MISERICORDIA.

G R Y P H I S W A L D I E

Typis Augustini Ferberi Junioris.

669  
2

DDIC

1603

DIACI AMI 2

pod

A D

*Magnificum & Clarissimum virum*  
ANDRÆAM TALLIN-  
GERVM J. U. D.

& generosissimi comitis Brunonis in Mansfeldt  
& Heldrungen,

Cancellarium dignissimum.

**Q**uam horrendum & crudele sit, hominem hominis vita insidiari, eumq;  
miserè necare, omnibus ubiq;, maximè tamen illis notum est, qui consci-  
entiam tali scelere pręgravatam gerunt, manusq; suas sanguine huma-  
no pollutas habent. Cum enim illi præ nimio angore, & animi incredibili an-  
gustia nullo unquam locorum diu consistere, & quieti se dare possint, imò non  
aliter sese gerant, ac si celi ac terrę mole durissimè premanur, certissimum hu-  
jus rei fundamentum est, eos graviter delinquere, qui non tantum hominè im-  
piè crudeliterq; necando Deum, naturam & Rempublicam acerbissimè offen-  
dunt, verum etiam ita miserè trucidatum, ~~et~~ <sup>et</sup> ~~quod~~ <sup>quod</sup> ~~super~~ <sup>super</sup> quam  
dici potest, tristantur, dum non tantum eum vita, re omnium preciosissima, &  
cum rebus humanis minimè conferenda spoliant, sed interdum etiam, quod o-  
mnium gravissimum est, animam simul cum vita fœdissimè perdunt, eamq;  
æternis miserijs ac gemitibus mancipant, implicant & involvunt, quæ facti a-  
trocitas tristissimusq; omnium rerum status, etsi summo studio & cura præca-  
vendus, in his tamen periculosissimis & exulceratissimis temporibus vix fieri  
posse videtur, ut ab hoc malo perpetuò quis immunis ac tutus evadat. Tàm  
effrenata enim est quorundam cupiditas, sui prodiga, pacis amula, mater litium,  
materia jurgiorum, ut nisi summo justitię motu in officio contineantur, jus hu-  
mani fœderis litigatorum abusu funditus extirparetur. Tàm frequentia  
sunt quorundam litigia, ut nisi Justitia conatus eorum sua virtute reprimeret,  
concordia dato libello repudiij extra mundi terminos perpetuò exularet. Tàm  
cruenta etiam à turbulentis ingenijs duella, provocaciones & rixę instituuntur  
& concitantur, ut nunc in diverbium abierit, pœnam gladij inevitabilem esse.  
Verum ne in immensum excreverent odiosissima illa insidia, ne pernicio-  
sissimi illi appetitus latius progrediantur, neq; Rerumpublicarum salus unà cõ  
subdi-

subditorum tranquillitate perpetuè intervertatur, idè naturalis ratio hoc saluberrimum huic malo remedium adhibuit, ut vis atq; injuria propulsetur: Nam hoc jure evenit, ut quod quis ob tutelam sui corporis fecerit, jure fecisse existimetur. Unde hæc lex non lata, sed nata, non rogata, sed mentibus nostris inscripta, non punctis legum notata, sed natura stimulis excitata dicitur, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripimus, hausimus, expressimus, ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus, ut si vita nostra ad aliquas insidias, si in vim, in tela aut latronum, aut inimicorum incidisset, omnis honesta ratio esset, expediende salutis. Undè non injuria unanimi & conspiranti omnium consensu tam honestum, tam sanctum, tam aureum hoc *J. C.* Florentini responsum reputatur, ut aureis literis merito scribi ac consignari, animisq; nostris perpetuè inculcari debeat, siquidem non tantum divina providentia constitutum, semper firmum atq; immutabile tranquillitatem inter omnes cives perpetuè alat & conciliet, verum etiam conscientiam dulcissimam senectutis nutriculam tutam & illibatam conservet, anime, vite & fame salutem querat, periculum omni modo avertat, & deniq; quod maximum est, Reipublicæ statum mirifice conservet & promoveat.

Quocirca cum sanctissimum *J. C.* Florentini responsum tam notabile & salutare habeat effectus, necessarium omninò duxi, istius vim ac rationem veram ex fontibus *Juris* & *Interpretum* nostrorum monumentis exponere, deducere, & indaganda veritatis gratiâ publicæ ventilationi committere, non quod putem, hoc singularis eruditionis ac momenti habere, nec quod vanam inde gloriolam sperem, nec deniq; quod rarissimam hujus rei doctrinam attendam, sed ut eo ipso non tantum atrocissimi homicidij criminis gravitas omnib; innotescat, illudq; quod ad illud unquam fieri possit, vitetur, verum etiam, ut si, quod avertat Deus, homicidium committere quis cogatur, ita sese gerere sciat, ut quod ob tutelam corporis sui moderatione inculpata tutela adhibita fecerit, jure fecisse existimetur.

Cum a. non sine gravissima ratione generali germaniæ consuetudine receptum sit, ut ea quæ in publicum emittuntur, sub alienjus patrocinio & singulari splendore edita proponantur, de patrono omninò cogitandum fuit, ubi etsi multi dignè occurrebant, qui hujus disputationis patrocinium dignè suscipere posse judicabantur, nullus tamen unquam dignior patronus T. M. sese offerre potuit ac debuit. Nam cum tu olim vir Magnifice in celeberrima & antiquissima *Wittembergensium Academia* unà cum præstantissimis viris-juvenibus, inter

inter quos ceu sol eminebat præstantissimus vir-juvenis Dn. JOANNES SCHONBACHIVS J. U. C. dignissimus, amicus honorandissimus, nec non Dn. TIBVRTIVS RVHELIVS J. U. C. amicus non minori amore & honore colendus, militares, ego minima illius exercitus peritissimi portio, vestra indefessa diligentia & eruditissima collatione egregie excitabar & erudiebar, quo singulari officio tantopre me obstrictum lubens meritoq; agnosco, ut T. M. hanc etiam à me laborum meorum rationem jure exigere potuisset. Verum si Bioni credimus, optabilius fortassis mihi erit, si cum non exigat sponte & ultrò T. M. offeram. Is n. suam messem alteri sponte largiri, quam exactionem expectare, & pravenire potius offerendo, quam praveniri exigendo conducibilius judicabat. Quid? Omitto T. M. singularem industriam, mirificam constantiam & promptissimam ad omnia voluntatem, quæ non tantum in qualibet controversia, certas firmasq; assertiones veris rationibus & indubitatis fundamentis solide comprobatas, proposuit, sed etiam adverse partis fundamenta omnibus pugnantium ac disidentium legum ac rationum nebulis discussis, ad veram harmoniam & concordiam redegit. Quot deniq; disputationes sub T. M. presidio habui? Quot sub ejusdem moderamine presidendo defendi? Quot singulares opiniones & intricatas quaestiones à me propositas summa animi dexteritate T. M. excussas, exhibuit? Profecto tanta T. M. in differendo fuit agilitas, tanta in docendo perspicuitas, tanta in consulendo fidelitas, ut si uno momento omnia effundere nobisq; communicare potuisset, animus certe T. M. adfuisse, non tam promptus quam promptissimus.

Quapropter ut tandem pro his T. M. cumulatis officijs gratus adpaream, utq; ardentissimum meum erga T. M. adfectum ostendam, eumq; faciam quam testatissimum, T. M. in indubitatum grati animi signum hoc sanctissimum J. Cui Florentini responsum, in presentia celeberrimorum J. Ctorum aliorumq; præstantissimorum virorum publice à me defensum, offero, dedico ac consecro, simulq; T. M. rogo, ut hoc exiguum munusculum serenissima fronte suscipiat, acceptet, ac tanquam ex Justitiæ officina extractum, judicet quam dignissimum. Id si, ut planè certoq; confido, T. M. facere intellexero, efficiet profecto T. M. ut majora meditari & publicum in usum vocare dehinc dubitem nihil. Deus trinus pariter ac unus T. M. unà cum universa familia salvam ac incolumem ad nominis sui gloriam, Ecclesie ac Reipublice salutem conservet ac tueatur paternè. Vale. Dab. Gryphisvald. Anno 1603.

JOHANNES FREUDEMANNS  
Autor & Respondens.



## DISPUTATIO

Continens repetitionem *L. Ut Vim. de  
Justitia & Jure,*

Quam Præside

MATTHIA STEPHANI J. U. D.

In auditorio *J*ctorum publicè defendet

JOHANNES FREUDEMANNUS Halensis Saxo.

### I.

**P**rofectò si quis rem recta putet via, nullam vim graviolem detestabilioremq; reperiet, quam eam quæ sanguinem humanum effundit, cædibusq; ac luctu grassatur & rempub. civibus orbat.

Hypp. ad Rubr. l. Cornel. n. 3. Damhaud. in prax. rer. crim. cap. 67. n. 1. Wesemb. in par. ff. ad l. Cornel. de sicar. imò terram ipsam sanguine pollui, nec nisi homicide sanguine effuso mundari legis divina sanctissima auctoritas est, Num. 35. Unde etiam hoc nomine pretium pro pena sumi acerrimè prohibitum, ne tota regio unius ob scelus & furias anathemate puniatur, Num. 28. Clamitat enim vox sanguinis innocentis ad cælum, ut scribitur in Apocal. Ecce post hæc vidi animas clamantes ad Deum & dicentes: Usq; quò Domine non das judicium & vindicas sanguinem nostrum de intersectoribus nostris qui sunt in terris. Unde merito jura civilia homicidas extirpatores generis humani appellitant, quoniam cognationis propagationem inter homines à natura constitutã, è medio tollant & impediunt, l. ut vim de just. & jure. Ideo etiam homicida quatuor offendere dicitur. Primò, Deum, quod creaturam ejus vita spoliet contra præceptum non occides, Exod. 21. Deinde Rempub. & Principem, quod hominem occidendo suo bono ac cive spoliet, siquidem Reipub. intersit refertas esse liberis hominibus civitates, l. cum ratio. de bonis damnat. l. 1. solut. matr. Tertio, patrem & totam innocentis occisi familiam l. 3. de lib. caus. Quarto vel omnium maxime ledit occisum, quem vita re omnium pretiosissima, & cum rebus humanis minima conferenda privat, & interdum etiam animã simul cum vita, quod horrendum & crudele est, fedissime perdit.

B

Deniq;

## DISPUTATIO

Deniq; seipsum etiam ledit, dum occidendo alium seipsum occidit, siquidem iustitiae divinae & humanae convenientissimum sit, ut sanguis pro sanguine detur.

### I I.

Cum enim natura singularem quandam inter omnes homines cognationem constituerit, simulque hoc praescripserit, ut homo homini eam ob causam quod homo sit, vel maximè consultum velit, summum certè nefas esse putatur, ut homo homini insidias struat.

Hominis n. interest hominem beneficio affici l. Servus, de servis export. & omnes ejusdem naturae participes dicimur, imò non tantum propter cognationem à natura constitutam, cognati appellari, sed propter lavacrum regenerationis etiam fratres dici possumus. Vnde etiam Solon rectè dicebat, beatam esse illam Rempublicam, in qua quisq; injuriam alterius suam aestimaret. Ut etiam apud Aegyptios legitur, reum mortis fieri eum, qui injuriam patienti opem non ferebat, text. in c. non inferenda quaest. 3. imò videmus leges omnes contractus & conventiones prohibere, quae prestare possunt occasionem, ut homo homini insidietur, ut apparet ex l. fin. C. de pact. aded, ut ne quidem juramento confirmari possint, text. in c. non est obligatorium de R. J. in 6to.

### I I I.

Verùm cum multi ex innata malitia omni humanitate seposita alijs insidiari appetant, naturalis ratio ad propulsandam hanc injuriam defensionem permittit, aded, ut quod quis ob tutelam corporis sui fecerit, jure fecisse existimetur. Undè hæc lex non lata, sed nata est, ut injuria propulsetur.

L. 3. de just. & jur. l. 4. ad L. Aquil. l. 1. § vim de vi & vi armat. l. scientiam § qui cum l. si ex plagis § tabernarius ad L. Aquil. l. 1. ubi Donell. n. 4. C. unde vi Usq. contr. c. 18. n. 4. Menoch. Arb. quaest. C. 277. Gometz. 3. Resol. 3. n. 20. Wesemb. conf. 19. n. 12. Bodin. 2. de Repub. 5.

### I V.

Etsi n. præclara, ac verè sancta sit Icti Pauli sententia, qua censet non esse singulis concedendum, quod publicè per Magistratum fieri possit, ne occasio sit majoris tumultus faciendi, tamen hoc ita jus est, nisi quem summa necessitas cogat, antè occurrere, quàm serum Magistratus auxilium expectare.

Idcirco enim judiciorum vigor constitutus, jurisq; publici tutela in medio posita est, ne quis sibi ipsi valeat permittere ultionem l. nullus C. de jud. L. æquissimum 13. de usufruct. l. dotis C. solut. matr. & ideò legum sacra reperta reverentia, ut nihil manu, nihil proprio ageretur impulsu, imò, ideò Deus Magistra-

## EX L. UT VIM DE JUST ET JURE.

Magistratum tanquam Deum presentem consuit, ut jus dicat, & pro sua industria & prudentia lites subditorum componat. Verum ideo prius adeundus est iudex, non ut quisq; jus suum amittat, sed ut meliori ratione & equiori via consequatur. At si in nostro casu quis iudicis auctoritatem expectare velit, quid aliud efficeretur, quam ut jus nostrum spe auxilij Magistratus perdamus?

### V.

Planè si per Magistratum fieri non possit, privatus etiam ad jus suum obtinendum nonnunquam vis privata concessa est, ne expectata iudiciali auctoritate vulnus accipiat privatus, quod postea emplastro iudiciali sanari nequeat.

L. ut vim de just. & jur. l. scientiam § qui cum aliter ad L. Aquil. l. 1. C. unde vi l. 1. C. quando lic. unic. sin. jud. se vind. l. 1. § vim de vi & vi arm. Wesemb. conf. 19. n. 60. Bart. in l. 1. n. 3. unde vi. Bocer. in tract. de jur. pug. cap. 9.

### VI.

Concessa autem est privata illa defensio certis limitibus delineata, conditionibus constricta, & æquitatis regulis coarctata, non ut temerè, & pro ut quisq; vellet institueretur, sed adhibita moderatione, & singulari defensionis temperamento. Unde etiam Moderamen inculpatæ tutelæ vocatur.

Ideo autem moderamen inculpatæ tutelæ vocatur, quia is, qui moderamine utitur, in nulla culpa est, quod triplici juris ratione confirmatur. Primò, quia defensio est juris naturalis & omni jure permessa, text. in c. si vero de sent. excom. l. 1. § vim de vi & vi arm. l. ut vim de just. & jure. At verò quod lege permittente fit, penam non meretur, l. Gracchius 4. C. ad L. Ful. de adult. Deinde aggressor non ab alio, sed à seipso occidi videtur, text. in Clem. unic. de homicid. & ideo provocatus non censetur esse in dolo. Ubi autem dolus abest, ibi homicidium inculpabile est. Tertid, quia occidens ad sui defensionem non committit maleficium, cum vim vi repellere liceat, l. 1. § vim de vi & vi arm. At verò ubi non est delictum, ibi nec pena esse potest, l. sancimus C. de pan.

### VII.

Est autem inculpatæ tutelæ Moderamen defensio æqualis, & remota ab omni culpa, quæ consistit in repercussione periculi imminentis, & propulsatione ejusdem proportionata.

L. scientiam § qui cum aliter ad L. Aquil. l. 1. C. unde vi c. significasti de homicid. Andr. Gail. lib. 2. obs. 110. n. 9. Wesemb. conf. 19. n. 47. Bocer. de jur. pug. c. 9.

## DISPUTATIO VIII.

Defensionem verò cum moderatione inculpatæ tutelæ omni jure permissam esse, adeoq; juris naturæ, gentium, & civilis rectè dici, testis est locupletissimus & verissimus Ictus Ulpianus: sed qua ratione juris civilis dicatur, non omnium una eademq; est sententia. Verior tamen eorum est, qui sola juris civilis approbatione id fieri contendunt.

*Furi naturali hanc defensionem acceptam referendam esse auctor est Jctus Ulpianus in l. 1. § cum arietes, si quad. paup. sec. dicatur, l. 1. § vim de vi & vi armat. non injuria tamen Florentinus Jctus hanc defensionem etiam juri gentium ascribit in l. 3. de just. & jur. propter tutelæ moderationem, qua homo injuriam illatam propulsare debet, l. 1. C. unde vi. Cum n. hæc sit rationis naturalis, à qua jus gentium promanat, § quod verò naturalis ratio, de jur. nat. gent. & civil. rectè juris gentium esse dicitur. Furis etiam civilis est hæc defensio cum moderamine inculpatæ tutelæ, propter comprobationem civilem. Etenim ea quæ origine juris naturæ & gentium sunt, civilia quoq; rectè dici possunt, ex eo, quod jus civile, ea, quæ à jure naturæ & gentium inventa sunt, comprobavit, § vendita verò inst. de rerum divis. § 1. vers. civiles Inst. de oblig. Undè certè non immeritò Corras. de jur. art. p. 2. c. 8. Connan. lib. 1. comment. c. 6. n. 8. Dec. in l. 3. de just. & jur. Bocero errare videntur, dum statuunt moderamen inculpatæ tutelæ jure civili ad formam esse redactum, & propterea absolutè juris civilis dicendum. Cum enim jus naturale semper æquum & bonum sit, l. pen. de just. & jur. & non nisi honesta precipiat, certè defensionem necessariam non nisi cum moderatione inculpatæ tutelæ, quæ æqua & bona est, permittere censetur, siquidem privata ultio cum iniquitate & injusticia conjuncta, juris naturalis seu gentium, quod divina providentia constitutum est, dici nequit, § sed naturalia inst. de jur. nat. gent. & civ.*

### IX.

Consistit autem in tribus: Modo, tempore, causa. Modus est defensio necessaria, periculo præsentis proportionabilis. Tempus si in continenti fiat repercussio, non ex intervallo. Causa est justa defensio, ut si quis justè provocatus repercutiat.

*Wesemb. conf. 19. num. 57. Bart. ad l. ut vim de just. & jur. Andr. Gail. lib. 1. observ. 110. n. 3. Et lib. 1. de pac. publ. c. 6. n. 17. Gravett. conf. 19. n. 7. Hyppol. de Mars. in pract. criminal. § quoniam n. 19. Bocero de jur. pugn. c. 9.*

### X.

Hinc consecutarium est, quod provocatus primum ictum expectare non



## EX L. UT VIM DE JUST. ET JUR.

non teneatur, cum melius sit in tempore occurrere, quam post vulneratam causam remedium quærere.

Leges enim vim vi repellere, ac injuriam imminuentem cum moderamine inculpata tutela propulsare permittunt, l. 1. § vim vi de vi & vi armat. l. 1. C. unde vi l. 3. de just. & jur. text. in l. ubi C. in quibus causis rest. non sit necess. l. 1. vers. melius est n. C. quand. liceat unicuiq. sine jud. se vind. Repellimus enim non vim illatam sed imminuentem. Ea n. quæ pulsatione & ictu jam illata sunt, amplius repelli non possunt. Atq. hanc sententiam tanquam veram tenet Bart. in l. 1. § vim de vi & vi armat. Boer. deciss. 168. n. 9. Clar. lib. 5. sent. § homicidium n. 33. Wesemb. conf. 19. n. 15. Bocer. de jur. pugnae c. 9. Gomez. tom. 3. resol. c. 3. Mynsing. respons. 25. Ratio autem hujus juris est, quod insulsatus primo ictu perire, & extingui posset, cum tamen omni jure permessa sit defensio pro salute vitæ tuenda, l. scientiam § qui cum aliter ad L. Aquil. Vnde melius est in tempore occurrere, quam post exitum vindicare, & vulneratam causam remedium quærere, l. 1. quand. lic. unic. sine jud. se vind. Deniq. textus est in der Peinlichen Halsgerichts Ordnung Art. 140 ibi ist auch mit seiner Gegenwehr, biß er geschlagen wird / zuwarten nicht schuldich.

### X L

An aurem in dubio vitæ discrimine constitutus fugere teneatur queritur? Nos periculum fugæ omnino evitandum statumus, modò sine vitæ periculo fugæ se concedere possit.

Moderamen enim inculpata tutela locum non habet, nec unquam allegari potest, nisi in causa necessaria defensionis, l. scientiam § qui cum aliter, ad L. Aquil. At verò quando aliquis fugere potest; puta si adversarius adhuc procul abesset, vel si aggressor claudus, vel homo ebrius, qui pedibus vix consistere posset, aut quis septis adrum, quarum foribus astat, concludi posset, is certè necessariam defensionem allegare non poterit, quia necessaria defensio in jure nostro dicitur, quando quis ab alio iniquè provocatus necessario ac coactè in defensionem sui homicidium commisit, text. in l. is qui aggressorem, ibi in dubio vitæ discrimine constitutus, ad L. Aquil. l. 1. C. unde vi l. scientiam § qui cum aliter, ad L. Aquil. Sola enim necessaria defensio cum occasione aggressoris permessa est, c. unic. § si quis hominem, ibi non necessario sed voluntarie, tit. de pac. tenend. Nec sola provocatio excusat à delicto, sed necessitas defensionis & vitæ periculum, quod provocatus aliter evadere non potuerit, nisi provocatum occideret, ut eleganter tradit Donell. ad. l. 1. C. unde vi, Bocer. de jur.

B s

pugn.

## DISPUTATIO

pugn. C. 9. Gail. lib. 1. de pac. publ. c. 16. n. 6. Relinquitur itaq, querendam esse fugam, quoties quis nondum in dubio vite discrimine constitutus adversarium & periculum vite commode fugere possit, text. expressus in const. Carolin. Art. 140. ibi Do einer jemand mit einer Tödlichen Waffnen oder Wehr vberleufft / vnd der benötigte kan süglich ohn gefehrlichkeit oder verletzung seines Leibes / Lebens / Ehr vnd guten Leumuts nicht entweichen / der mag sein Leib vnd Leben ohn alle Straff durch eine Rechte Gegenwehr retten. & Art. 142. So fürgegeben wird / der Todtschläger were dem Benötigten wol süglicher weise / vnd ohn gefahr Leibes / Lebens / Ehr vnd gutem Leumuts entweichen / darumb die Endleibung für den beklagten Todtschläger nicht auß einer Rechten Endschuldigten Notwehr / besondern bößlichen geschehen were / vnd darumb peinlich gestraffet werden soll.

### X I I.

Sin vero ita in dubium, vitæ discrimen adductus aliquis sit, ut tutò jam ampliùs effugere nequeat, ei longè consultius est, ut continuo se defendat.

Tùm quia leges permittunt venientem percussorem gladio repercutere l. 3. ad L. Cornel. de Sicar. Tùm quia jure permittente repulsare vim, illiq, resistere licet l. 1. C. unde vi. Fugere autem non est pulsare injuriam, eiq, resistere. Tùm quia in vite periculo constitutus facile in fuga cadere, vel ei spiritus ita intercludi posset, ut adveniienti aggressori vel ex lassitudine ampliùs resistere nequeat. Tùm quod ex fuga animus aggressoris in necem fugientis audacior redderetur. Tùm quia fugere probrosum, & cuius infamè est, ut dicitur in l. omne delictum § qui in acie, de remili. Tùm deniq, quia priori injuria non resistens, novam accersit Gometz. tom. 3. var. resol. l. 1. 3. Clar. § homicidium n. 32. Wesenb. 19. n. 17.

### X I I I.

Neq; constituenda est differentia inter nobiles & plebeos, sed indistinctè omnes fugere tenentur, si commode fugæ se committere possunt.

Certa n. juris regula est, quod ubi eadem ratio, ibi idem jus statuendum sit, l. à Titio de V. O. At vero in proposito casu rationes ascriptæ ad eiq, innobili, ut in plebeo militant. Vnde nulla causa est, quare is fugere non teneatur. Deinde legum autoritas non distinguit inter nobiles & plebeos. Vbi autem cessat legis distinctio, ibi etiam hominis cessare debet. Deniq, defensio contra vim  
juri

## EX L. UT VIM DE JUST. ET JUR.

juris naturalis & gentium est proindeq; cum omnibus hominibus communis, ac nobili non magis quam plebeo concedenda. Etsi n. nobilioribus ex fuga quãdam macula vulgi opinione concedatur, ea tamen certe levior est, quam ut consistendo & adversarium necando pulsetur & repellatur, imò conscientia tutius, hominiqu; Christiano dignius censendum, potius cum levi & vana populari infamia pugnam fugiendo detrectare, quam dubia vel etjam certa pugnare victoria. Fœlix n. ille est qui nec legitime nec illegitime aliquem occidere cogitur, imò leve honoris detrimentum potius non curare laudabilius erit, quàm ex levi causa in necem hominis nequiter conspirare, l. injuriarum 13. § si quis de honoribus, de injur. c. quod David q. 4. Bald. in l. 1. n. 14. C. unde vi. Tiraquel. de Nobil. c. 20. n. 64. Bart. l. 1. n. 7. C. unde vi.

### XIV.

Queritur & illud: An paritas armorum in hac defensione desideretur? Si simpliciter dicatur nec rationem nec auctoritatem habet.

Quodcumq; enim quis ob tutelam corporis sui fecerit, id jure factum esse creditur, l. 1. C. unde vi, text. in l. scientiam § qui cum aliter ad L. Aquil. l. 1. § ult. ad L. Cornel. de Sicar. Donell. ad l. 1. n. 7. C. und. vi ubi itaq; necessitas defensionis apparet, ibi omnimodo se defendere licet. Armorum n. equalitas non potest ita comparari in continenti. At verò hoc principale requisitum est in moderamine inculpatæ tutelæ, ut fiat incontinenti, non ex intervallo, Wesemb. Con. 19. n. 60.

### XV.

Moderamen verò inculpatæ tutelæ omnes æquabili vultu aspicit, & indistinctè omnibus tum plebeis, quàm nobilibus conceditur, & contra omnes, tam nobiles, quam plebeos, imò contra Imperatorem ipsum patrem, & fratrem, ut maximè hoc Bodino displiceat.

Bodin. 1. de Repub. 4. fol. 40. statuit hoc affirmare nemini licere & ne quidem scribi sine impietate posse: idq; intantum ut nequidem ad patriæ defensionem filius Patrem hostem occidere possit, arguento l. 38. § 9. ad L. Ful. de adult. si quidem tantum scelus admitti nequeat, quod parricidio vindicandum, & ob id parricidium hoc nõ sine conscientia morsu perpetrari posse, aded ut mors filio potius sit solatium & vita supplicium. Verum longè verior ac tutior, est sententia contraria, quæ communi Dd. calculo probatur, Felin. in c. dilectus n. 7. de except. Decian. in pract. criminal. lib. 9. c. 19. n. 10. Sturc. l. jura sanguinis 8. de R. F. n. 19. nam ut parentes liberos suos occidant, leges non permittunt l. fin. C. de patr. potest. sed concedunt castigationem paternam, & ideo

## DISPUTATIO

Et idem moderatam, ac limitibus suis veluti circumscriptam ac delineatam l. vim C. de emend. propinq. Pinell de bon. mater. p. 2. n. 17. Ascan. clement. in tract. de patr. potest. effect. 1. n. 12. in fin. Et propterea liberi parentibus ita castigantibus salva conscientia resistere nequeunt, Bart ad l. 3. just. Et jur. Aliud est si parentes omnem exeuntes humanitatem metam sibi à legibus præscriptam transiliant, liberosq; ita tractent, ut nil nisi mors eis sit expectanda, tum certe quin filius mortem sibi imminenteus etiam cum parentis interuentione declinare jure possit, dubium non est. Aliàs enim se mortem patienti animo sub spe pietatis ac reverentiæ paternæ exciperet, propriam charitatem negligeret, Et eo ipso Deum, qui solus vitæ Dominus est, Sap. 16. Naturam, utpote quæ omnibus rebus eam vim inseruit, ut sui conservationem appetant, Et corruptioni resistent, Et deniq; Rempub. in eo gravissimè offenderet, tum operas suas, quas deberet patriæ subtraheret, cum non minimum vitæ patriæ, cui omnes nascimur, debeamus. Sanè si licet patrem aliquid perniciosè contra Rempub. molientem interficere l. 33. de Relig. Et Sumpt. funer: Multò magis integrum erit patrem hostem Et inimicum salutis propriæ interimere, cum tralatitium sit, quod ordinata charitas incipiat à seipso, l. præses 6. C. de servit. Et natura ita comparatum sit, ut omnes melius sibi velint, quàm alteri, Sturt. ad l. 8. de R. F. n. 19. Extra hunc casum necessitatis Bodino libenter concedo, ut patris famæ, ita multò magis vitæ ipsius parcendum esse, l. si adulterium ad L. Ful. de Adult. sed quando pater humanitatis obliviscitur, Et in necem filiorum vel patriæ conspirat, indignus reputatur auxilio legum humanarum, l. auxilium 39. de minor. Et defensio omninò concedenda. Neq; hanc sententiam parùm confirmat, quod leges defensionem necessariam Et tutelam, ut vocant, inculpatam concedentes, non distinguunt inter personas extraneas, Et parentes, sed indistinctè omnibus, Et contra omnes permittant, l. 3. de just. Et jure. At verò cessante legis dispositione, cessare debet hominis dispositio. Concedo quoq; nullum tantum scelus à patre committi, quod parricidio vindicandum, si nimirum intelligas parricidium voluntarium, non si necessarium. Sicut enim prohibito simplici homicidio, necessarium non censetur prohibitum, sic etiam prohibito parricidio, neecessarium non intelligitur vitium, cum talis qui se defendit præcepto Non occides satisfaciat, quod alias non minus laderet, qui se occidendi potestatem tribuit, ac si alium interficiat, imò magis delinquit, qui seipsum, quàm qui alium interficit, siquidem magis sibi quàm alteri obligetur. Deniq; pro parricidio habendum non est, quando quis in necessitatis

casu

## EX L. UT VIM DE JUST. ET JUR.

casu patrem interficit, quia hoc principaliter non agit, ut parricidium committat, sed ut se, suamque vitam defendat. Ubi autem voluntas ac propositum delinquendi non est, ibi maleficio esse nequit, l. 35. in prin. de furt. imò occisus habet quod sibi imputet, qui proprium sanguinem negligendo seipsum vita spoliatur, l. 203. de R. F. nec parentis nomine dignus est, qui omnem humanitatem ac pietatem erga liberos deponit, proprii sanguinis prodigus, erga se ipsum crudelis existit, & in necem filiorum contra officium pietatis nequiter conspirat.

### XVI.

Neque tantum vitam naturalem quis moderamine inculpatae tutelae defendere potest, sed etiam vitam civilem, Bonam nempe famam. Ut enim naturaliter non vivimus sine sanguine, ita civiliter sine bona fama vivere non credimur. Unde bonam famam non minus, quam vitam defendere licet.

Vita enim & fama in jure equiparantur l. justa de manumiss. vind. At vero pro defensione vite naturalis licita est defensio, l. ut vim, de just. & jur. Imò bonam famam non minus quam vitam curare debemus, c. non inferenda q. 4. siquidem omnibus rebus preferatur, & bona fama mori longè laudabilius sit, quam turpiter vivere, l. Fulianus siquis amiss. caus. test. unde etiam crudelis dicitur, qui famam suam negligit, c. noli q. 1. Damhaud. in prax. rer. criminal. c. 749. Vasq; lib. 1. controvers. c. 18. n. 3. Bocer. de jur. pugn. c. 7. Deniq; textus in l. ut vim, de just. & jur. ubi Florentinus Ictus non tantum vim, sed etiam injuriam propulsare posse contendit: Vis autem proprie infertur vite, injuria pudori, ut tradunt Dd. in l. ut vim, de just. & jur.

### XVII.

Ut autem vitam armis defendere non licet, nisi quem necessitas cogat propria auctoritate sibi ipsi succurrere, ita nec licet famam armis defendere contra injuriam illatam, nisi casu quo ope judiciali & per legitimos tramites calumniantium iniquitates expelli nequeant.

l. ut vim de just. & jur. l. scientiam § qui cum aliter ad L. Aquil. l. 1. C. unde vi l. 27. de manumiss. test. l. 1. §. vim, de vi & vi armat. l. §. ex plagis, §. tabernarius ad L. Aquil. Vasq; lib. 1. com. c. 18. n. 13. Bart. in l. 1. in 6. C. unde vi. Bocer. de jur. pugn. c. 7.

### XVIII.

Unde liquidò apparet, quod honesta virgo vel matrona pro defensione attentatae pudicitiae violentum stupratorem licite occidat, siquidem virginitas semel amissa à nemine, adeoque nec à magistratu restaurari possit.

C

l. 1

## DISPUTATIO

*l. 1. § item divus 4. ad L. Corn. de sicar. Fama enim metus bonis major esse debet, quam mortis, l. illi quidem 8. § quod si, quod met. caus. & crudelis est qui famam suam negligit, c. nolo q. 1. c. non sunt audiendi, q. 3. Idem ideo maxime quoniam copia iudicis haberi, & injuria illata legitime per magistratum ita vindicari nequit, ut persona lesa per publicam vindictam illasa credatur. Vnde consultius est in tempore potius occurrere, quam post vulneratam causam remedium querere, ut dicitur in l. ubi C. in quibus caus. rest. non sit necess. l. 1. C. quand. lic. unic. sin. jud. se vind.*

### XIX.

Ex hoc tamen necessariae defensionis titulo neutiquam permiffum est propter simplicem bonorum ac rerum defensionem inuasorem occidere, nisi simul cum bonorum ac rerum periculo vitae periculum concurrat.

Indubitati juris est, quod moderamini inculpate tutela locus non relinquatur, nisi in casu necessariae tutela, ut text. est expressus in l. scientiam § qui cum aliter. ad L. Aquil. At verò in proposito casu nulla est necessaria tutela, quia subest ordinarium remedium. Vbi autem injuria illata legitime vindicari potest, ibi cessat proprium auxilium l. non est singulis de R. j. Esi enim bona & res secundus hominis sanguis dicantur gloss. in l. advocati C. de advoc. diver. jud. non tamen aequè pro rebus, quae vilissimae sunt respectu hominis ut pro cōservatione vitae nostrae defensio moderata concessa est, siquidem pro rebus datum sit remedium ordinarij juris, pro defensione verò vitae incontinenti non item. Cum itaq; diversa haec sint non debet ex illis fieri illatio, l. Papinianus de minor. Neq; ulla extat decisio legis civilis de defensione rerum necessaria, imò omnes leges solam vitae defensionem attendunt, ut text. est expressus in l. ut vim, de just. & jur. ibi propter corporis tutelam, atq; ita excludit rerum defensionem, quia unius inclusio est alterius exclusio, l. cum prator de jud. c. nonne de praesumpt. text. in l. scientiam § qui cum aliter se tueri non possunt ad L. Aquil. text. in l. 1. de vi & vi armat. text. in l. 2. de homicid. ibi te tuaq; defendendo c. suscepimus de homicid ubi dicitur, Expedire potius tunicam & pallium relinquere & rerum jacturam pati quam pro vilibus rebus ita exardescere nos, ut aliquem occidamus. Ided & specialiter concessum est depopulatores agrorum occidere ut patet ex l. 3. C. quand. lic. unic. sin. jud. vind. Unde apparet, jus commune esse in contrarium, l. jus singulare de legibus. Esi enim jura possessionem armis defendere permittant, ut text. est in l. 1. unde vi, l. 3.

## EX L. VT VIM. DE IUST. ET IUR.

*vi, l. 3. § cum igitur, de vi & vi armat. c. dilecto de sent. ex com. considerandum tamen est, quod inde non sequatur, quod eum occidere liceat, quia majori estimatione habendus est homo, ad imaginem Dei creatus, quam res temporales, c. 2. de homicid. si vero res meas me defendentem tu velis offendere: tunc te me offendentem jure natura, civili & canonico occidere possum, quod colligitur ex sententia Augustini in c. perfodiens. Ubi rationem tradit, quare diurnum furem, si se telo defendat occidere possumus, quia jam, inquit Augustinus plus est, quam fur. En in telo se defendente jam alia causa est, quam rerum. Etenim justè eum apprehendo & injuste ipse se defendit cum telo, ne itaq; me occidat, licite ei resistere possum. Eum igitur qui cum armis venit, armis possum repellere, & si me veli in repellendo offendere, eum etiam cum moderamine inculpatæ tutelæ, licite occidere possum, ut text express. in l. 1. C. unde vi. Atq; illud est quod jus divinum, l. 12. tab. confirmata per jus Romanum, ut etiam lex Can. distinguat inter nocturnum & diurnum furem, quod hic non nisi cum telo se defendat, jure occidi possit, ille verò quovis modo. Etenim gravius delinquit fur nocturnus quam diurnus, siquidem non animo solum furandi, sed etiam occidendi veniat, c. perfodiens de homicid. Ratio igitur quare furem nocturnum interficere permissum erat, diurnum vero non item, in eo consistit, quia distingui poterat an fur esset. Unde cum damnum esset temporalium rerum, non erat justum eum occidere, si vero esset fur nocturnus, tunc discerni non poterat, an perfodiens fores veniat ad furandum, an verò ad occidendum, idè propter personæ ac rerum concurrentis periculum, permissum erat quovis modo occidere, c. perfodiens de homicid. l. 4. ad L. Aquil. l. 9. ad l. Cornel. de sic. l. 1. C. unde vi.*

### XX.

Non tantum autem nos & res nostras jura permittunt defendere, sed etiam nostros, qui vel potestati nostræ, vel saltem adfectui subiecti sunt.

Patri enim jura permittunt defendere filium oppressum etiam cum adversarij internecione. Nam ea interemptio, coacta defensione excusatur. Filius enim parentum suorum pars, & commune conjugatorum bonum esse creditur, imò per eum tanquam ex parentum visceribus genitum paterni nominis diurnitas conservatur, l. liberorum de V. S. Ita jura concedunt parentibus, consanguineis, tutoribus, vel amicis alicujus virginis, juvencule, aut honeste vidue defendere virginem aut honestam viduam contra violentum raptorem,

## DISPUTATIO.

*ita ut si eum interimant culpa vacare credantur l. unic. C. de rapt. virgin. Injuria enim uni ex familia illata, redundat in ignominiam omnium, qui de familia sunt, l. 3. de lib. caus. Damhaud. in prax. rer. criminal. c. 80. . n. 19.*

### X X I.

Imò ignoto etiam ab altero graviter oppresso suppetias ferre cuiusvis licet, quamvis ad hoc legum vinculis nemo constringatur.

Alienigenæ atq; ignoto etiam suppetias ferre licitum est, text. in c. dilecto, de sent. excommunicat c. non inferenda quest. 3. c. sicut dignum extr. de homicid. Nam aggressor offendit Rempublicam, & ita non tantum ledit adversarium, sed omnes de populo. Unde quilibet potest talem injuriam propulsare. Verum ad eam defensionem humano jure nemo obligatur, nec ad eam cogi potest, quia in illius voluntate positum est, ut oppressum defendat, aut non defendat, ut est text. in l. filio patri de legat. 1. Unde etsi non ferendo auxilium oppressori favere, ac culpæ particeps esse videatur, text. in c. dilecto de sent. excom, tamen nullum crimen non defendendo contrahit, text. in l. metum. ubi Bart. n. 3. §. sed licet de eo quod met. caus. ubi dicitur, quod liceat pro altero defendendo pecuniam accipere: ex quo colligitur, quod jure ad defensionem alterius nemo teneatur. Nam si quis ad alicujus obligatus esset defensionem, nulla ratione pecuniam accipere posset, text. in l. Furis gentium §. si ob maleficium de pact. Aliud tamen est in persona servi, qui personam domini omnino defendere tenetur, qui, si cum potest, non defendit dominum punitur pena ultimi supplicij, l. fin. C. de his quibus indig. Aliud etiam est in crimine læsæ majestatis cui defendendæ omnes ex jure obligantur l. quisquis §. id quod C. ad L. Ful. Majest. Imo sciens conjurationem contra Principem punitur si non revelet, quia ita celando illius Majestatem cum posset, non defendit, Bart. in l. 1. ad Sc. Syllan. Denique locum non habet in crimine parricidij quia sciens aliquem occidere patrem, & non revelans punitur, text. in l. utrum ibi, conscij criminis ad L. Pomp. de parricid. Denique tenetur dominus defendere servum conductum, Damhaud. in prax. rer. criminal. c. 80. n. 37. Sic tenetur omnis defendere eum, cui defensionem promisit, idq; ratione conventionis. Feudator etiam defendere tenetur vasallum seu feudatarium suum, & è contra feudatarius dominum suum, Bald. l. 1. C. unde vi. Ex quibus omnibus colligitur piè quidem & honestè facere eum, qui alium in periculo vitæ constitutum defendit & injuriam ab adversario illatam, propulsat, sed tamen hoc nullo jure



## EX L. UT VIM DE JUST ET JURE.

*jure constringi, ut tradit Damhaud. in prax. rer. criminal. c. 90. n. 37.*  
*Bart. in l. 1. unde vi. Dec. in l. ut vim, de just & jur.*

### XXII.

His igitur cancellis moderamen inculpatae defensionis circumscriptum est: iam necessariò quærendum est, qua pœna is afficiendus sit, qui non servato moderamine inculpatae tutelae aggressorem occidit? Verior tamen & communior sententia est, cum extraordinariè puniendum.

Quia non videtur esse in tanta culpa, qui justum dolorem temperare non potuit, *text. in l. si adulterium § Imperatores ad L. Ful. de adult. ubi dicitur text. quod licet maritus, uxorem in adulterio repertam, non possit occidere, tamen si de facto occidat, mitius punatur, quia difficilimum est justum dolorem temperare, text. in l. Divus ad l. Pomp. de parricid. textus in l. si quis in gravz ad Syllan. text. in l. gratus. C. ad L. Ful. de adult. Ignoscendum enim est ei qui se voluit ulcisci provocatus, l. qui cum major. § si libertus de bon. libert. Gometz tom. 3. resolut. c. 3. n. 24. Imò imputandum est aggressori qui causam delictorum præbuit, text. in l. quoniam C. ad L. Ful. de vi, non insultato, qui intenso dolore permotus non est in plenitudine intellectus, & qui stateram in manu habere nequit, qua ictus equaliter commensuret, Fachin. 1. contr. 32. Garzias 3. colum. n. 8. Bart. in l. 1. n. 3. C. unde vi, nec in provocato præsumitur dolus, & animus occidendi, aut vindictæ studium, sed potius defensionis necessitas, Hippol. prax. criminal. n. 91. Unde puniendus est provocatus pro isto excessu non ut dolosus, quia provocatio à dolo excusat, sed ut culpabilis, quia moderamen inculpatae tutelae excessu, text. in l. si adulterium § Imperatores ad L. Ful. de Adult. Bart. in l. ut vim. n. 3. de just. & jur.*

### XXIII.

Restat nunc ut de modo probandi periculum & defensionem necessariam videamus. Ea autem probandi ratio consistit in idonea articulo-  
articularum formatione, & earundem vera vel præsumptiva probatione,

Indubium planè, omnibusq; notum est, quod defensio necessaria legitimis probationibus & aperissimis documentis utiliter probetur, l. fin. C. de prob. verùm maxime dubium est, an defensio necessaria saltem præsumptivè probari possit. In quo controverso juris articulo diverse reperiuntur Dd. sententiae: sunt qui affirmant, sunt qui negant, sunt qui distinguant, sunt deniq; qui alio modo extricando se intricant. Rectius tamè sentiunt illi, qui affirmativam tenent: quia defensio est privilegiata, & ideo admittuntur probationes

C E pra-

## DISPUTATIO

presumptiva, testes alias inidonei, & conjectura, ut tradit Dec. ad l. ut vim, de just. & jur. Bald. in l. solam C. de testib. Wesemb. conf. 19. n. 39. In criminalibus n. etiam ad probandam defensionem conjectura admittuntur, quae iudicis arbitrio relinquuntur, quia contra dolum presumptum, admittitur probatio prescriptiva, ut tradit Innocent. & Canonisi. in c. 1. de presump. Esti verò Bolognetus in l. ut vim, de just. & jur. n. 36. omnino contendat, quod propter presumptionem juris quae contra homicidam est, luce clariore requirantur probationes, textus in l. fin. C. de prob. l. ult. quod met. caus. siquidem in prohibitis malus animus & dolus presumatur, & presumptioni juris tantum liquidissima probationes opponantur, textus in l. si convicij C. de injur. tamen hoc nihil huc facit, quia qui est in terminis defensionis, is non versatur in genere prohibiti, sed omni jure concessi l. scientiam § qui cum aliter ad L. Aquil. l. ut vim, de just. & jur. l. 3. ad L. Cornel. de Sicar. Imò notissima juris regula est, quod specialis prescriptio generalem presumptionem tollat, etiam in criminalibus, c. audiis de crim. fals. l. merito profoc. l. si qui adulterij, ibi obtentu proximitatis ad L. Ful. de adult. l. unic. de Emendat. propinq;. Deniq; notum est, quod probatio, quae presumptione constat non dubia, non incerta sed liquidissima probatio dicatur, & maxime in ijs admittatur, quae difficili probationis sunt, nec nisi per conjecturas probari possunt, Wesemb. conf. 19. n. 43. Ex quibus colligitur, quod necessaria defensio, omnesq; casus privilegiati sua natura leviozem requirant probationem, & quod in casu necessariae tutelae non tantum probationes luce clariore, sed etiam probationes prescriptivae admittantur, ut tradit Wesemb. conf. 19. n. 31. Dec. in l. ut vim, de just. & jur. Boer. decis. 164, n. ult.

### XXIV.

Ad obtinendam autem absolutionem & abolitionem perpetrati homicidij accusatus in materia purgationis & innocentiae duo potissimum articulare & probare debet.

Non levis est dubietas: An in casu necessariae defensionis unus, an verò duo articuli ponendi & probandi sint? Sunt quia unum hunc articulum, qui est de provocatione & insultatione injusta ab occiso prius facta articulandum & probandum statuunt, siquidem necessaria defensio in prius facta aggressionem injustam maxime fundata sit, ut tex. est expressus in Carolin. Constitut. quae est in ordinat. judicij criminalis Art. 142. ibi, So einer verklaget Todtschleger seiner verümbten Nothwehr Außfundig macht/ daß er von den

## EX L. UT VIM DE JUST. ET JUR.

undtleben mit einer tödtlichen Wehr erstlich Angefechten we-  
So ist die Nothwehr durch den verflagten Todtschleger außge-  
ret: Unde omnino colligunt, quod probata injusta aggressionem, probata  
etiam intelligatur necessaria defensio. ut etiam solis adversarij insidijs probatis  
necessaria defensio probata credatur l. is qui cum telo C. ad L. Cornel. de sicar  
l. 3. C. ad L. Cornel. de sicar. l. 5. ad L. Aquil. Jason. ad l. ut vim, n. 9. de  
just. & jur. Alexand. cons. 76. n. 3. Dec. in l. 3. de just. & jur. Bologn. in  
l. ut vim, de just. & jur. Mynsing. Respons. 27. Wesemb. cons. 19. n. 16. Ve-  
rum his non obstantibus verior est sententia eorum qui statuunt, duo imprimis  
conjunctim non tantum articulanda, sed etiam probanda esse à reo, provocacionem  
scilicet & necessariam defensionem, Damhaud. in prax. rer. c. 76.  
n. 3. Andr. Gail. lib. 2. obs. 110. n. 14. & lib. 2. de pac. pub. c. 16. n. 3.  
Bart. in l. scientiam § qui cum aliter ad L. Aquil. Indubitatum enim est quod  
seperatorum seperata sit natura & ratio, & quod ab ijs non recte inferatur.  
At vero dubium non est quod provocatio à necessaria defensione causam pla-  
ne separatam habeat. Vnde nihil proponitur, quare provocacione probata ne-  
cessaria defensio probata credatur. Imo certum quod probata provocacione ni-  
hilominus probari debeat necessaria defensio, siquidem dubium adhuc sit, an  
moderamen inculpatae tutelae adhibuerit, nec ne. Unde liquido constat, quod  
sola provocatio adversarij non excuset ad delicto, sed necessitas defensionis &  
vite periculum, quod provocatus aliter evadere non potuerit, ut text. est ex-  
pressus in l. is qui aggressorem, §. ad L. Cornel. de sicar. Ut maxime itaq;  
probet provocacionem & primum aggressoris insultum, tamem nondum proba-  
tum est, quod is alia ratione sese defendere non potuerit. At vero hoc princi-  
pale moderaminis inculpatae tutelae requisitum est, ut adsu vite periculum, l.  
scientiam § qui cum aliter ad L. Aquil. Non itaq; provocacione probata, ne-  
cessaria defensio probata credetur, siquidem non omnis provocatio vite peri-  
culum afferat. Vnde recte Jas. in l. ut vim, de just. & jur. Notant, aut,  
ex illo textu quomodo formari debeat articulus ad probandam defensionem.  
Nam non sufficit quod quis fecit insultum, sed omnino necessum est, quod aliter  
evadere non potuerit, l. is qui aggressorem ibi in dubio vite discrimine consti-  
tutus ad L. Cornel. de sicar. l. scientiam § qui cum aliter ad L. Aquil. text.  
in c. 1. ibi non necessariò sed voluntariè de pac. tenend. text. in l. 1. C. unde  
vi. Non itaque tantum defensio, sed etiam necessaria defensio articulanda &  
probanda est, siquidem sola necessaria & coacta defensio & vite periculum  
justum

## DISPUTATIO.

justam moderaminis inculpatæ tutelæ causam faciat, & necessariò requiratur,  
Bart. ad l. ut vim, de just. & jur..

## XXV.

Unus articulus est, quo specialiter accusatus ponit, in se prius ab occiso factum esse insultum. Alter articulus est, quo accusatus simpliciter dicit ad suam defensionem occidisse eum, de quo reus factus est.

Fason. in l. ut vim, n. 3. de just. & jur. Hyppol. de Marsil. sing. 19. Dec. in l. ut vim, n. 17. de just. & jur. Boer. decis. 164. n. ult. Mynsing. Respons. 27. Andr. Geil. lib. 2. obs. 100. n. 14. Boer. de jur. pugn. c. 9.

## XXVI.

Probantur autem articuli testibus, præsumptionibus & conjecturis; Et quidem testibus alias inidoneis, ut sunt domesticus pro domestico, frater pro fratre Abbas pro Monacho, imò etiam illis qui de credulitate deponunt, si aliter quam per credulitatem deponere nequeant.

Alexand. cons. 76. in fin. Dec. in l. ut vim, n. 7. de just. & jur. Boer. decis. 164. n. ult. Wesemb. cons. 19. n. 40. p. 1. Gravett. cons. 119. n. 9. lib. 1. Geil. lib. 1. de pac. pub. c. 16.

## XXVII.

Præsumptionibus & conjecturis locus non est, nisi dubium adpareat, quis fuerit primus aggressor, quæ ex genere annorum, loco, tempore, persona inimicitijs præcedentibus & alijs, quæ accurato iudicis arbitrio committuntur, desumi possunt.

Carol. V. in ord. jud. cum art. 143. ibi. Darauß kan ein gutter verstendiger Richter er messen / ob der vorgewendten Nothwehr zu glauben sey. Geil. lib. 1. de pac. publ. c. 16. Boer., decis. 154. n. 17. Wesemb. cons. 19. n. 61. Nam is qui in gravioribus armis est, qui inimicus, qui rixosus est, aggressor præsumitur, Damhauder. in prax in criminal. c. 76. n. 18. E, contra vir bonus, probus & bene famatus ab altero invasus præsumitur. Equè n. est, ut boni nominis sinceritas bono sit patrocinio, & nigri nominis macula famoso sit detrimento, l. non omnes § à barbaris de re militari. Nov. 5. de Monach. text. in Art. 143. ibi In welchen fellen ist anzusehen der gute vnd bö. Standt jeder Person.

## XXVIII.

Si v. exceptione proposita accusator replicationis remedio utatur, & intendat probare quod accusatus moderamen inculpatæ tutelæ non adhibuerit, omnino admittendus est, & replicationis probatio ab eo exigenda,

Ita constituit Imperat. Carl. V. in ordinat. jud. criminal. art. 143. ibi

Doch unabgeschnitten dem Klegler die beweisung die er dawider fürbringen wolt. Art. 150.

ULB Halle


3

003 615 200



Sb.

VD 77





TIO

1603

*Etissima*

ust. & jur.

D E

ANI J. U. D.

*ia Ducum Illustri*

*d 16. Jul. in Audi-*

*defendet*

DEMANNVS

SAXO.

la regna. 1603

CHRISTE

ICorDla.

A L D I A

ri Junioris.

669

21

1972

DDIC

150

DIIACI AMI 02

